



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros
partitum**

Laymann, Paul

Moguntiae

20. De Contractu societatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40716

quo accepta erat. Tunc enim verum mutuum cum
vsurario auctario accidit.

CAP. XX.

De contractu Societatis.

1 **C**ontractus societatis est Conuentio plurium ad
commune lucrum (ad disting. locationem) &
damnum (æquum enim hoc est iuxta reg. 55. in 6. *Qui
sentit commodum sentire debet & onus; & contra.*) pro-
portione rerum contributarum.

2 Societas institui potest cum pacto assicurati-
onis ita vt vni soli periculum incumbat, modo eius
grauamen compensetur.

3 Societas interdum tali modo instituitur, vt vni
sociorum pecunias, v. c. alter laborem & industriam
conferat. Nam sæpè fieri solet, vt labor ac industria
negotiatoris tantumdem vel plus ad lucrandum con-
ferat, quam alterius pecunia.

4 Societas in pecoribus variè institui potest; inter-
dum vt tam pecora ipsa, quæ alteri traduntur, quam
fructus, detrimenta ac damna vtrique danti & ac-
cipienti communia sint. Interdum etiam ita, vt pe-
corum dominium, ideoque etiam periculum pe-
tet ad solum dantem; fructus autem ad vtrum-
que.

NB Pastor dolum & culpam præstare debet, non
casum fortuitum, quia res si casu pereat dominus
perit: dominus autem pecorum manet is, qui ea pe-
scenda dedit. Ergo.

NB. Palliatam vsuram esse: Si Titius tibi tradat
100. vaccas æstimatas, tali pacto, vt liceat eas tibi di-
strahere, absumere arbitrato tuo: post triennium ve-
rò quomodocunq; interim res eueniat, siuales vac-
cas, et

cas, earumque æstimationem reddere cogaris, atque interea quotannis pensionem ipsi soluere, cum hoc sit virtuale mutuum, quia perinde est, ac si Titius tibi vaccas venderet, & precium numerandum crederet, seu mutuò daret ad triennium, interim pensionē seu lucrum ex credito accipiens.

Impendia, quæ socius occasione societatis fecit, à reliquis secundum proportionem rependi debent. §

Socius ratione societatis conuentus, non amplius obligatur, quàm commodè facere potest, habita ratione ne egeat nisi dolo egerit, quominus integrè satisfacere posset; nec enim æquum est dolum suum quemquam releuare: dicitur in l. cit. §. tempus autem. 6

Societatis contractus soluitur 1. cessante negotio aut pereunte re, 2. elapso tempore, ad quod societas intra fuit. 3. Morte vnius sociorum, nisi cautum sit, vt vno moriente inter alios societas permaneat. 4. Renunciacione seu expressa, seu tacita modo id fiat sine dolo. 5. Publicatione aut cessione bonorum. 7

CAP. XXI.

De ludo & sponsonibus.

Ludus alearum & chartarum, licet suapte natura (quippe quibus prudentes in Republic. vtuntur) licitus contractus sit, tamen per accidens adiuncta mala habet, ideoque humana lege prohibitus est, præsertim Clericis, qui se frequenter aut publicè cum scandalo populi ludant, peccant mortaliter. Quod si publicus lusor, postquam beneficium legitime obtinuit, Clericus esse incipiat, prius moneri debet, antequam deponatur, iuxta c. 1.

Oo 4 d. 13.